

1116  
1-85
















2  
3  
4  
5  
6  
7  
8





1680.

a, b, c, d

1. Biter, Joh. Mathth : De arbore et palo mobili.  
nario. vntz von dem Fackelbäume, Licherpfahle,  
u. iher Rechte. 4 Bndl. 1680, 1730, 1740 i 1759.
2. Brückner, Georgus Maurici : Ornatu Academia  
jura anti et vntzli exponens.
3. Fleckreich, Justus Georgius : De utilitate innocia
4. <sup>1. 2. 3. 4.</sup> Frey epleben, Johannes Christophorus : De libris ceoma.  
libus ac judicialibus. Von der: Gerichts. Bücher  
3 Bndl.
5. Fugmann, James Christophorus : De testamentis
6. Mayer, Johannes Friedericus : De refutatione feudi
7. Meier, Johann Maurici : De nova.
8. Lode, Johannes Hermannus, a : De conclusione  
causae Von Beschluß der Sache i in Submission zu Urteil



9-Markhine, Dickerius Wilhelmus: De conditione  
iudicis

1682.

1. Bruckner, Georgius Henricus: Dissertationes academicae  
et universum ius feudale.

2. Bruckner, Georgius Henricus: De conjugio

3. Bruckner, Georgius Henricus: De necessaria emptione

3<sup>a</sup> ac venditione  
3<sup>b</sup> Lichnerus, recurrens: Mammis Dei funestissima, lues pestifera.

4. Meyern, Joh. Henricus: De retracta vicinorum.

5. Street, Franciscus Philippus: De objectis iuris

1683.

Schebren, Paulus: De delicto vulnerationis

1684.

1. Bruckner, Guili. Hieronymus: De reprobatione feudis

Und von Lehens Veräußerung, als, dieselbe dem Lehensherrn



entsegen, entseiden, entlassen in datsagen

2. Bruckner, Georgius Henricus: De Romanis regni  
Germaniae

1685, 1-8.

1. Durbeck, Johannes Georgius: De mundiis
2. Bruckner, Wilhelmus Hieronymus: De jure sortium
3. Bruckner, Georgius Henricus: De rebus infeudatis  
et subinfeudari solitis
4. Bruckner, Georgius Henricus: De irrita re-infeudatione  
perpetua bonorum feudaliu Ducatus Magdebur-  
gensi majoris, quam bos thalerozum quantita-  
tis post Instrumentum pacis Casariae. Praesentum  
Osnae. An. 1648.
5. Hakenbrod, Antonius: Forum Competens
6. Lucanus, Johannes Georgius: Labyrinthus juris  
ejusq. prudentiae constablis



1685

7. Lyrenus, Fredericus Wilhelmus: De revivione  
caelestri. 4 Sept. 1685, 1726, 1735.

8. Joellerus, Zacharius: Felus mathematicus.



DISSERTATIO ACADEMICA,

AD

UNIVERSUM  
IUS FEUDALE.

Quam

DIVINA FAVENTE CLEMENTIA,

*Indultu inelyta Facultatis Juridica,*

In

Perantiquâ Electorali Erfurtenfi

Academiâ

*SUB*

PRÆSIDIO

DN, GEORGII HEINRICI Brückners/

J. U. D. & P. P.

*Eruditorum Discussioni submittit.*

PETRUS CHRISTIANUS Kirchner/  
Erfurtenfis,

*In Auditorio Cœlico*

Die  $\frac{31.}{21.}$  Augusti 1682.

*ab horâ Matutina 9. usq; ad 11.*

ERFURTI, TYPIS IOHANNIS BERNHARDI MICHAELIS.



REVERENDISSIMO AC ILLUSTRISSIMO  
DOMINO

DOMINO  
JOH. JACOBO  
VVALPOTH:

L: BARONIA BASSENHEIM ET  
BORNHEIM, DOMINO IN  
OLBRÜCK, &c.

Metropolitanæ Ecclesiæ Moguntinæ  
ut & Equestris ad S. Albanum Capitu-  
ari, Eminentissimi Electoris Mogunti-  
ni Consiliario Intimo, Urbis &  
territorii Erfurtensis Pro-  
principi,

*Domino suo perquam Gratioso*

Disputationem hanc

Submisse, offert

ac dedicat

*Petrus Christianus Kirchner.*





Th. 1.



**F**euda, sumta pro rebus ea sub conditio-  
ne datis, ut accipiens vicissim danti fidelis ac officio-  
sus sit, primitus neq; naturali neq; gentium  
neq; civili, proprie sic dictis, juribus introducta,  
sed haud dubie statim à mundi primordiis, humano  
genere aucto, viq; injusta ingruente, à lacessitio  
aliorum injuriis vel eas metuentibus, svadente natura rationali, suæ  
defensionis gratia constituta.

Th. 2.

Feudum acceptum pro Jure in re vel mobili vel immobili per  
investituram solennem constituto, quo plena ejus utilitas ea lege  
euidam datur, ut fidelitas ac imprimis servitia militaria Domino con-  
cedenti præstentur, certis casibus renovatio investituræ peragatur,  
ordinarie tantum masculi descendentes succedant, ob quædam de-  
licta feudum possessori plane auferatur, & quæ hujus generis è rece-  
pto Jure sunt alia, sui originem ad Gentes Germanicas, qualis Longo-  
gobardica, cujus juribus utimur, haud dubie refert.

Th. 3.

Memorato Jure Longobardico à pluribus Europæ gentibus nunc  
recepto, non eò proprie jus Gentium audit, sed potius Jus Civile plu-  
rium Gentium, dirigit quippe gentes non quæ tales, sive coordinate,  
sed earum subditos adeoq; subordinate, nisi dicere velis, respectu  
statuum Regni Germanici, quos inter se fere ut confœderatos consi-  
derat *Monzamban de Statu Imperii Germanici c. 6.* Dominus *Prin-  
sendorf Dissert. Acad. de Republ irregulari.* Et Dominus *Rachel. Introd.  
ad Jus Publicum Germanicum cap. 8.* jus Gentium esse.

Th. 4.

Jus Feudale non præcise consuetudinarium, nec scriptum, sed  
ex utroq; mixtum est.

A

Th. 5.



Th. 5.

Non obligat Germanos respectu Autorum sive Legislatorum, exceptis Imperat. constitutionibus inibi contentis, sed ob spontaneam receptionem, factam procul dubio initio seculi decimi quinti, quo tempore pleræque (sub finem quoque seculi decimi quarti quædam erectæ.) Germaniæ Academiæ, ad imitationem Italicarum, fundatæ, hocq; Jus ibidem expositum, paulò post, Regibus ac Statibus Germaniæ permittentibus, traductum in praxin, dein implicite confirmatum in Recessibus Imperii, ad Jus Feudale provocantibus, vel idem ut receptum allegantibus. Quondam vero, ante receptum hoc Jus Longobardicum, particularia Jura Feudalia, Saxonicum ac Svevicum, ob autoritatem Vicariorum Imperii, Saxonis & Palatini, in Germaniâ fere obtinere. *Confer Conring, de Origine Jur. Germ.*

Th. 6.

Duplex igitur impræsentiarum Jus Feudale Germaniæ, unum Commune, Longobardicum sc. speciale alterum, quale v. g. Saxonicum, Svevicum &c.

Th. 7.

Allegans consuetudinem Feudalem è Jure Communi, pro se habet fundatam intentionem, ideoq; neganti eam obtinere onus probandi incumbit. Textus vero Feudales usque ad 2. Feud, 73 sunt authentici, reliqua capitula extravagantia.

Th. 8.

In decidendis Controversiis Feudalibus hoc proceditur ordine: Attenditur (1.) conventio partium ac inde confectæ literæ Investiturarum (antiquiores posterioribus, si diversitas forte appareat, ordinariè præferuntur; enim vero iis primo datum, his tantum renovatum Feudum) [2.] Jus Feudale cujusvis loci Statutarium vel Consuetudinarium, quod derogat communi. (3.) Jus Commune, Longobardicum, hoc deficiente (4.) Jus Civile Romanum vel Canonicum: His vero ab invicem discrepantibus, Romanum in Imperio Germaniæ, Canonicum in Pontificis territorio præfertur, demum (5.) ad naturale recurritur, quod ultimum præstat subsidium.

Th. 9.



Th. 9.

Optimā derivatio feudi à fide, sive Italicā voce Fede, Germanici, *Lehn* à *Leihen* vel *Lehnen*.

Th. 10.

Feudo opponitur Allodium, à German. *alle*/ omne, & *ode*/ vacuum, [res enim talis ab omnibus qualitatibus & oneribus feudalibus vacua sive libera] deductum. In dubio res potius allodialis quam feudalis praesumitur.

Th. 11.

Feudum quandoq; pro (1.) re (2.) contractu, [3.] ipso jure Feudali accipitur. Feudum quoq; beneficium vel gratia audit.

Th. 12.

In tertio significato Feudum respectu Vasalli est dominium utile à Domino Feudi in re quadam constitutum, ut Vasallus plenissime illa utatur fruatur, sub conditione mutuae fidelitatis.

Th. 13.

Et Dominus & Vasallus in Feudo proprietatem habent, ille directam, hic utilem, neuter integram, quisq; minus plenam; respectu igitur Vasalli jus Feudi non nudus Ususfructus est.

Th. 14.

Differt Feudum ab Emphyteusi, bonis censiticis, Precario & Jure superficiario.

Th. 15.

Varie dividitur feudum, aliud *Vetus* aliud *Novum*, illud, quod jure successionis ad aliquem devolutum, quod etiam dicitur antiquum, paternum. Hec, quod quis ipse primum acquisivit. Filius abstinendo hereditate paternam, si cum consensu agnatorum in feudo investitur, Feudum fit novum, nec agnati succedunt, nisi expresse cum consensu Domini jus succedendi sibi reservaverint. Emptum pretio veteris venditi fit novum. Concedi à Domino sub jure Veteris Feudi novum potest, eoq; acquiritur agnatis jus succedendi: Vasallo tamen cum consensu Domini, tanquam primo constituenti & acquirenti, libera



de eo disponendi facultate relicta, nisi cum Domino & ipsis agnatis  
mutuæ pactioes intercesserint, tunc enim Jus stricte dictum, ex pro-  
misso ipsis quaesitum, extra eorum consensum à Domino & Vasallo  
auferrinequit. Feudum antiquum Jure Feudi novi, consentientibus  
tamen agnatis, dari potest, iis dissentientibus, non licet.

Th. 16.

Feudum Ecclesiasticum [ ein Krumbstäbisch Lehn ] est, quod in  
re Ecclesiastica, Seculare, quod in re Seculari alicui constituitur,  
non attenda persona constituyente, an Ecclesiastica an Laica sit.

Th. 17.

Feudum aliud Nobile, quo mediante Nobilitas, aliud Ignobile,  
quod simpliciter, citra nobilitatis qualitatem, in Vasallum transfer-  
tur.

Th. 18.

Porro feudum Regale est, cui Regalia exercendi dignitas an-  
nexa, quod iterum vel Ecclesiasticum, à ritu in collatione ejus quon-  
dam adhiberi solito, porrectione scilicet sceptri, ScepterLehn / vel  
seculare, à vexilli, ubi territorii insignia depicta, datione, SahnLehn  
dictum. (Hodie mediante gladio Investitura ab Imperatore indi-  
stincte peragi consuevit.) Illud est, quod cum dignitate Ecclesi-  
astica, hoc, quod cum seculari Vasallus consequitur. Non Regale  
est, sine praedicta qualitate traditum.

Th. 19.

Porro Feudum aliud Ligium est, quo Vasallus contra omnes in-  
distincte, Non Ligium, ubi non contra omnes, sed quibusdam excep-  
tis, praestat fidelitatem.

Th. 20.

Demum In Curte aliud, sive in territorio Domini, aliud Extra  
Curtem, alieno scilicet in territorio, situm est.

Th. 21.

Datur quoque Feudum aliud proprium, cui definitio Feudi sua  
pra Th. 12. posita exacte congruit, Inproprium, cui minus. Probe  
gamen



tamen notandum, Feudistis, non attenda *ἀνεβή* Philosophica, illud demum proprium esse, cui præter essentialia, scilicet in definitione contenta, nullum naturale ē mox recensendis, deest.

### Th. 22.

Sunt verò Feudorum naturalia, [quæ non quidem essentiam constituunt, per Legis tamen dispositionem tacite inesse præsumuntur, nisi quædam speciali pacto fuerint excepta.] (1.) Juramenti præstatio (2.) Masculorum successio [3.] Adservitia incerta obligatio (4.) Alienandi impotentia citra consensum Domini, ac, certo casu, agnatorum. (5.) Investituræ certis casibus renovatio (6.) feudi brevium culpa oblatio (7.) Immobilitas.

### Th. 23.

Improprium ergo est Feudum Fœmininum, à Fœmina acquiritum, ubi Fœminæ, deficientibus masculis, in subsidium succedunt, cujus oppositum Feudum masculinum, ubi primus acquirens masculus, Fœminis penitus à successione remotis. Datum ita: für sich und seine Erben/ Leibes Erben/ in dubio censetur masculinum, nisi consuetudine loci hæc locutio contrarium denotet.

### Th. 24.

Impropriis Feudis immerito accensetur Emtum, Oblatum five Recognitum: at vero Pignoratitium, sine juramento acceptum, in remobili, v. g. pecunia, consistens, Francum, sub certis & determinatis servitiis præstandis promissum, de Camera, de Cavena, Soldatæ, Guardia, Gvastaldia, Habitationis ad tempus vitæ, Alienabile, Hæreditarium &c, cum posita Th. 22. naturalia iis exacte non conveniant, meritò impropria feuda audiunt.

### Th. 25.

E recensitis notari meretur hæreditarium, quod iterum vel (1.) mere hæreditarium, quod ferè naturam Allodii sapit, ac disponi de eò ut allodio potest (2.) mixte hæreditarium, quod subdividitur, &c. 1. ubi masculi cum fœminis pariter, 2. ubi Fœminæ, demum deficientibus masculis, admittuntur, 3. ubi succeditur eo modo, ut facta defun-



defuncti debeant præstari, nec ea destruere vel impugnare successori Feudali fas sit. Quo verò modo Feudum in Vasallum sit translatum, literæ Investiturarum testabuntur.

Th. 26.

Qui liberam rerum suarum administrationem habet, Feudum constituit, & masculus & fœmina [Fœmina tamen in Saxoniam cum consensu Curatoris, nisi illustris sit] Illustris & plebejus (de moribus plerumq; illustris) secularis & Ecclesiasticus, potissimum superior inferiori: nec tamen inauditum, superiorem ab inferiore aliquid recognoscere in Feudum v. g. Principem à Comite, Imperantem à subdito; constat inde, nexum Feudalem formaliter non eam subjectionem quam confœderationem importare. Confer, Hugon. Grot. de J. B. & P. lib. 2. c. 3. §. 23.

Th. 27.

Pontifex, quâ Dominus secularis, secularia bona, quâ p̄sona Ecclesiastica, bona Ecclesiastica, & quidem non infeudari solita, cum consensu Cardinalium, infeudari vero solita, sine consensu eorum, in Feuda validè dare potest.

Th. 28.

Perinde Episcopo, Abbati, absque Capituli consensu, facultas investiendi in non infeudari solitis haud permittitur: Quin sæpè, ob penuriam bonorum Domaniarum, (quæ sunt res, quarum fructus ad Reipublicæ & Imperantium necessitatem, utilitatem, ac dignitatem destinatæ, ab aulicis Domainen Güter dictæ,) in Capitulationibus dispositum, ut etiam infeudari solita vacantia fisco & Domainiis incorporarentur; Incorporatione ergo vel facta, vel facienda, Episcopo, Abbati, &c. ista reinfeudandi vel alienandi potestas plane adempta. Quod si nihilo secius ab eò contra fiat, id omne ipso jure nullum est. Confer, Hug. Grot. de J. B. & P. Lib. 2. Cap. 5. §. 11. & Cap. 14. §. 12. & à Successore, citra refusionem pretij, nisi ex titulo vel oneroso vel lucrativo, imperans Nb. ex potestatis naturâ aliud potuerit transferre (quo casu haud dubiè locupletior est factus, parcendo



endo videlicet aliis rebus alienari licitis, vid. *Grot. Lib. 2. Cap. 10. §. 2. & seqq.* adeoq; Respublica ac per consequens Successor, sive electivus sive hereditarius (nisi, electio & hereditario distinctim succedentibus, uni præ altero per pacta onus æris alieni solvendi solū impositum, prout id factum *7. P. Osabr. art. 11. §. 10.*) merito ad pretii refusionem obstringuntur *Grotius Lib. 11. c. 14. §. 10. & seq.*) à possessore (qui tamen, sciens fuisse rem Domanialem, contra autorem suum, nisi pacto sibi prospexerit, de evictione agere non potest, Confer. *Franzk. ad Tit. ff. de Evict. n. 277.*) nisi obstet præscriptio, (quæ verò requiratur, id pro varietate Domaniarum diversimode determinandum,) retrahi potest. In præscriptione vero immemoriali hic fortè opponenda bona fides ab initio usque ad finem de Jure Canonico & moribus requiritur, vid. *Gail. 2. Observ. 18. n. 7. Mynsing. Cen. 4. Observ. 6. Rosenthal Conclus 77. in Com. lit. H. in fine, Confer. Franzkii Resol. 1. lib. 3. n. 69. & seqq.* Infeudari solita vacantia, ac non reinfeudari prohibita, sub iisdem conditionibus, quibus olim, etiam cognatis, modo sint idonei, sine consensu Capituli concedi in Feudum possunt. Sede vacante Capitulum hujusmodi res licite reinfeudat, sine confirmatione ab Electo facienda, nisi consuetudine id alicubi receptum.

### Th. 29.

Imperator, vi *Capitulationis*, Feuda Imperii majoris momenti vacantia (exceptis Electoratibus & Feudis minoris momenti) non licite reinfeudat, sed Imperii Fisco incorporat, necesse est. Hæc lex primum Carolo V. artic. 24. præscripta; enim vero bonis Imperii Domaniaribus Imperatorum, imprimis Caroli IV, nimia liberalitate profusis, fisco Imperii hoc modo iterum adaugere Electoribus visum fuit.

### Th. 30.

Vi *Aureæ bullæ tit. 5.* vacante Imperio, Vicarii investiunt, nisi sint Feuda Regalia, quorum Investitura soli Imperatori vel Romanorum Regi est reservata.

### Th. 31.

Personæ variæ conditionis Vasalli fieri possunt, ut scæmina (quæ per substitutum servit,) hermaphroditus, (cujus tamen sexus prærogativa



gativa in successione Feudali attendenda,) Impubes, cum tutoris auctoritate ut obligetur, infans, (tutor tamen nomine infantis solum feudum acquirit) juramento in tempus pubertatis, quin & de moribus ubi vis fere ad majorenitatem dilato, minor, etiam sine curatoris auctoritate, Filius familias, clericus, (Monachus tamen non sibi sed Monasterio acquirit) rusticus, cæcus, surdus, mutus, modo Dominus horum vitiorum naturalium non ignarus fuerit: Probe tamen notandum, quod licet cæcus, surdus, mutus vel alio notabili vitio naturali laborantes Feudum dicto modo noviter acquirant, propter defectum tamen naturalem ordinarie in Feudis non succedant.

### Th. 32.

Nihil speciale in Jure Feudali quoad matrimonium Vasalli statutum, nisi quod matrimonium ad Morganaticam (ubi uxor certo dono nuptiali ac bonorum portione cum liberis debet esse contenta, de cetero à reliqua hæreditate, & dignitate paterna planè abstinens) eo sit cognitum. Horum matrimoniorum exempla in illustribus personis, quæ sæpe ob rationes Politicas sinistrae manus inferioris sortis puellas sibi jungi curant.

### Th. 33.

Pater liberis æquè in feudalibus ac allodialibus tutorem constituere potest, non tantum agnatum (ex dispositione vero *Aurea bulla* quoad Electoratus præcise agnatum, nisi singularis ratio obster) sed & extraneum. Testamentario deficiente, si Feudum masculinum, legitimus est proximus agnatus, modo justæ ætatis sit, & quidem in Feudo indivisibili, solus senior, exclusis cognatis, licet proximioribus, nisi sit Feudum hæreditarium. In Principatibus, agnatis tutoribus communiter adjungi solent consilarii tutelares, *Bormundschafts Râthe*. Mater & avia agnatis sæpe præferuntur. Simul tamen quoq; investitus præ cognatis onus tutelæ ob commodum successionis, quod sperat, sustinet. In allodialibus Vasalli bonis proximus vel agnatus vel cognatus est tutor. Notandum, Electores 18. anno fieri majorenes. Deficiente tutela & testamentaria & legitima à Domino Feudi immediato, adeoque in Imperio ab Imperatore vel



Vel Camera, non vero Austregis: quoad Feuda tutores constitui solent, Curatorem ordinat iudex ad quem litis cognitio spectat.

### Th. 34.

In Feudum dari possunt res corporales & incorporales, mobiles vel immobiles hæque vel civiliter vel naturaliter tales (mobilium vero improprium est Feudum) propriæ & alienæ [propter has tamen evictas ab ignorante Vasallo fuisse alienas, post factam litis denunciationem, aliisq; in evictione necessariis requisitis adhibitis, contra autorem, evictionis nomine, vel ad aliam ejusdem bonitatis rem tradendam vel interesse præstandum actio datur] res ecclesiasticæ (non sacræ, immediate scilicet ad cultum Divinum destinatæ) ac seculares (non tamen Reipublicæ patrimoniales [Domainen Güter] nisi has tenus infeudari sint solitæ, nec strictè sic dictæ publicæ & universitatis) res dotalis immobilis (æstimato venditionis gratia datâ indistinctè, inæstimato, vel æstimato, taxationis tantum causa, data, stante matrimonio, non nisi quoad fructus) castrum cum vel sine jurisdictione, molendina, sive aquatica, sive pneumatica sive navalia, (quæ omnia rebus immobilibus, adeoq; Feudis propriè sic dictis merito accensentur) sylva cum vel sine venatione, eaque vel superiori, vel media vel infima: Arbores tamen moderate cædi ac feræ non penitus extirpari debent.

### Th. 35.

Jura vel cum vel sine rebus, quibus inhærent, in Feudum dantur. Castro concessio cum Jurisdictione indeterminate, alii simul supremam, alii inferiorem tantum datam putant. Existimaverim, morem istius regionis, ubi investitura facta, præcipue attendendum: in dubio vero minorem tantum concessam præsumerem: porro ea non private nec cumulative, sed subordinate, salva videlicet prima instantia, tributa censetur.

### Th. 36.

Feudi objectum quoque sunt Regalia, eaque vel Majora vel Minora. Majora, quæ sunt facultates sive Jura sine quibus Respublica regi non potest, & non nisi sub caractere majestatico possidentur.

B

que



quò merito etiã referas jus collectandi, licet plurimi id ad minora  
rejiciant; & Minora, jura, vi quorum utilitates quædam è Republica  
percipiuntur & ordinarie Fisco inferuntur, in quibus plerumque  
consistit jus imperantium Domaniale: Regalia dicta æquivocè, quia  
à privatis quoq; sine caractere majestatico per concessionem impe-  
rantis possidentur, atque tunc nequidem Regalia audiunt: quatenus  
vero à Principe retinentur, non in se, sed subjective, sive, ut Philo-  
sophi loquuntur, in sensu diviso ac materiali Regalia dicuntur.

Th. 37.

Ab eò, qui facultatem habet, etiam totum Imperium, à deoq; &  
Regalia Majora infeudari possunt, & quidem ita, ut Vasallus non  
continuo infeudantis fiat subditus. Confer. *Grotium de J. B. & P. lib.*  
*1. c. 3. §. 23.* Apparet hoc in Statibus Imperij ab Imperatore quoad  
Jus territoriale investitis, nexus enim Vasallagii se non habet per  
modum subjectionis sed confœderationis.

Th. 38.

Minora Regalia, qualia vulgò recensentur: (aliquot ex his cre-  
do potius majora dicenda vide supra Th. 36.) jus Armandiæ, (habendi  
scilicet publica armamentaria) viarum & fluminum publicorum,  
(supremam jurisdictionem in viis ac fluminibus publicis exercendi,  
reditusque quoad saluum conductum vel rerum vel personarum ex  
illis percipiendi &c.) cudendæ monetæ, occupandi bona vacantia,  
Angariarum & Parangariarum, Argenti & Sali Fodinarum, Venationis,  
quondam potissimam partem Imperatorum bona Domaniale erant,  
nunc, ut supra monitum, ab alienata de Imperiò, Statibusq; as-  
signata sunt. Hi vicissim in plurimis inferiores subinfeudant. Hoc  
die pro lubitu nova vestigalia Imperator Statibus concedere nequit,  
sed vi *Capitulationis Leopold. §. 21.* ad id consensu Electorum, eoq;  
unanimi, auditis tamen etiam Statibus vicinis, opus est. Prohibi-  
tum quidem, Exercitium cudendæ monetæ à Statibus per locatio-  
nem &c. transferri in privatos, at vero praxis hodiè est contraria.  
Minora Regalia à Superiore Vasallo, utpotè Domino utili, non sub-  
ordinate nec cumulative, sed private in dubio data censentur.

Th. 39.



### Th. 39.

Servitutes cum prædio in Feudum dari possunt. Vasallus acquirat, non vero citra consensum Domini, si novum, & agnatorum, si verus sit feudum, strictè sic dictam servitutem imponit: quod si tamen Vasallus vicino suo emolumentum in Feudo constituere velit, id tantum valet ad dies vitæ, sine præjudicio agnatorum, nisi simul hæredes defuncti Vasalli extiterint.

### Th. 40.

In Feudis etiam præscriptiones locum habent. Tempus ordinarium in Jure Feudali est 30. annorum, nisi agatur de præscribendis Regalibus, ubi contra superiorem tempore immemoriali, contra privatum vero tempore ordinario quoad ista opus esse volunt: Regalia vero hic intelliguntur tantum Minora, de Majoribus diversa Feudistarum sententia.

### Th. 41.

Per præscriptionem Jus Domini directi & versa vice Domini utilis, in re hæctenus plane aliena, requisitis usu capionis intervenientibus, acquiritur; dum enim plenus hucusq; Dominus, me vel ut Dominum directum vel ut utilem patitur gerere, hoc ipso præscriptione divisio proprietatis fit, ut, cum antea simplex illius rei fuerit Dominium, postea duplex, directum & utile, utrinq; tamen minus plenum, esse incipiat: è contra contingere potest, ut, dum hæctenus rei alicujus duplex fuerit Dominium, directum & utile, per præscriptionem simplex fieri incipiat, Domino vel Vasallo hæctenus illam bona fide per tempus lege definitum possidente ut allodiale.

### Th. 42.

Præscriptiones Feudorum contra Vasallum completæ non nocent Domino neq; agnatis, Jure successionis nondum ad ipsos devolutis; quo tempore enim ipsis non competit jus agendi, eo quoq; in eorum præjudicium nec præscriptio Feudi &c. currit; contra quemvis igitur in individuo præscriptio est complenda: nocet tamen præscriptio, contra parentes completa, descendantibus, utpote causam à suis parentibus habentibus vide 1. Feud. 45.

B 2

Th. 43.



### Th. 43.

In Vasallum per Investituram, præcedentē tamen contractu Feudali, transfertur Feudum. Investitura ista vel est propria, actualis scilicet translatio possessionis Feudalis, vel abusiva sive symbolica, signis scilicet, baculo, sceptro, gladio, vexillis, vel aliis, prout mos regionis fert, adhibitis, facta, æque jus in re ac vera transferens. Utraq; juxta tenorem Juris Feudalis, pares Curia, si haberi possunt, vel alios extraneos, ad minimum duos, fide dignos testes requirit, nec publico instrumento satis creditur: moribus tamen parium Curia præsentia remissa, & breve testamentum sigillo confirmatum, vel alia Domini confessio de facta Investitura, imo attestatum Cancellaria Feudalis, sufficit.

### Th. 44.

Non tantum ipse Dominus, sed & Procurator, speciale mandatum habens, investire solet. Vasallus quoq; Investituram per Procuratorem suscipere potest, quod hodie in aula Imperiali solenne.

### Th. 45.

Concedi alicui Investitura potest quoad Feudum nondum apertum, Vasallo præsentē etiam invito, nec tamen in illius præjudicium. Ea transfertur jus in re, Concessa vero Expectativa, (Die Unwartschast) tantum jus ad rem; duobus ergo expectativâ donatis, posterior natus possessionem, priori præfertur, secus foret, si prior simul fuisset investitus: prior tamen salvum existit jus agendi ad interesse. Hæc expectativa ac Investitura effectum sortiuntur post mortem Vasalli, liberorum, agnatorum Vasalli feloniam, &c. Pendente conditione, sub qua expectativa data, Domino non fas est revocare promissum. Expectivatus, si simul sit investitus, propria autoritate Feudi possessionem vacuam apprehendere potest. Successor Domini, sive hereditarius sive electivus, promissum quoad Expectativam ac Investituram à defuncto datum adimplere tenetur. Quoad successorem clericum solet distingui vid. *Servv. Syntagm. Jur. Feud. cap. 8. aph. 10. n. 7.* Ad hæredes investiti, demortui ante vacantiam contingentem, transit



transit expectativa, utut legata à Domino fuerit, quo casu suspenditur quidem executio, sed non impeditur transmissio.

Th. 46.

Moribus quoq; recepta est simultanea Investitura. Ea qua est Juris Saxonici, multum discrepat à communi.

Th. 47.

Post Investituram à Vasallo Juramentum fidelitatis (quod tamen remitti potest) præstandum, vel ipsi Domino vel Procuratori ejus, speciale mandatum habenti, domino mortuo, ejus hæredi. Filio, vivo patre, separatim non præstatur. Si plures unius Feudi Domini, plerumq; Vasallus jurat illi, quem Domini inter se elegerint. Si plures unius Feudi Vasalli, interest, an indivisim id possideant, & tunc omnes jurare, vel unum (einen Lehnräger) eligere debent, qui omnium nomine Investituram accipiat: an divisim Feudum, & quot partes, tot præstanda juramenta. Vasallus non præcise obligatus ipse jurare, sed Procuratorem cum speciali mandato sistere potest, qui in Principalis animam juret, id quoq; in Saxonia, ubi alias jurare in alterius animam vix licet, obtinet, Dominus quoq; Vasallo ad fidelitatem, non tamen ad Juramentum fidelitatis præstandum obstrictus. Hoc juramentum (der Lehns-Eid) probe discernendum ab eò quod dicitur subjectionis (der Erbhuldigungs-Eid.) Hoc subjectionem, illud quasi confederationem, istud jus territoriale, hoc confraternitatis importare formaliter solet: licet multi Domini, ad extendendam suam potestatem, istud cum hoc, in præjudicium Vasallorum, confundere tentent; hinc tot in Imperio quærelæ. Non quidem negandum, plerumque Vasallum simul esse subditum, adeoque unà jurandum: getreu / hold / gewärtig und unterthänig zu seyn: id vero non est perpetuum, nec ex forma ac essentia Feudi.

Th. 48.

Vasallus ordinariè in testamento de Feudo disponere nequit, nisi Dominus consentiat, vel ratihabeat, quod tamen in veteri Feudo

B 1

agnatis



agnatis non nocet, ob jus ex prima Investitura ipsis quaesitum, nisi & ipsi consenserint, licet tacite, sciendo ac tacendo testamentum à Vassallo fieri: Patris tamen voluntati inæqualiter inter filios feudum dividenti, juxta 2. Feud. 45, (in praxi contrarium asseritur, si Feudum fuerit exacto & providentia) quod & jure Electori Saxonico probatum vid. Struv. Syn. Jur. Feud. cap. 9. aph. 11, liberi contravenire nequeunt, sed illi divisioni paternæ stare tenentur. Si Feudum sit mere hæreditarium, Vassallus disponit ut de allodio, si mixte hæreditarium, & quidem quoad modum succedendi, tunc & agnati factum & jussa defuncti præstare obstructi sunt. A patre ex hæredari filius in Feudo veteri nequit, nisi consentiat dominus, ob justissimam causam, quæ feloniam comparatur. De fructibus Feudi perceptis, utpotè non rebus Feudalibus, item de fructibus ultimi anni, si Vassallus post Kal. Mart. decesserit, de melioramentis Feudi, quæ non *Erd, Nid, und Nagelfeste* de pretio Feudi legitimè venditi, de feudo, quod pignoris loco detinet, de quo feudo quod cum consensu Domini & agnatorum jure Retrovenditionis accepit, licite testatur. Si Feudum nullo modo hæreditarium alicui legaverit, legatario competit contra hæredes illius allodiales actio ad æstimationem. In legitimam pater filio imputare potest Feudum novum non vero vetus.

#### Th. 49.

In Feudis novis ordinarie tantum succedunt descendentes, & quidem liberi ex justo matrimonio suscepti, de moribus, etiam legitimati per subsequens matrimonium, non item per Rescriptum Principis, nisi in specie ad Feudi successionem sint legitimati à Domino Feudi vel ab alio, consentiente Domino: nec tamen hæc legitimatio valet in præjudicium agnatorum, nisi & hi suo juri renunciaverint. Nati ex Sponsa de præsentibus, ante benedictionem Sacerdotalem, comparantur reliquis legitimis. Adoptivis in Feudis nullus datur locus.

#### Th. 50.

Si proprium Feudum, masculi tantum succedunt, exclusis filiabus, imò excluduntur masculi ex fœmina nati. In Feudo fœminino, ubi fœmina prima acquirens est, vel ubi per pactum fœminarum succedunt.



successioni prospicitur, deficientibus masculis universae familiae, in subsidium demum admittuntur Foeminae [ nisi pactum cum masculis eas simul admittat) utur haecenus aliquoties a masculis fuerint exclusae. Foemina ad Feudum admissa, postea si masculus nascatur, tamen ad dies vitae Feudum retinet. In Feudo mere haereditario Foeminae succedunt ut in allodio. Non admittuntur in Feudo filii furiosi, dementes, muti, surdi, caeci, licet haec vitia non sint connata, sed contracta tantum: *Vide supra Th. 31.* post vitium tamen superveniens, acquisitum retinent. Patre ob tale vitium excluso, hoc non nocet filio perfecto, nisi Feudum, antequam filius susceptus, ad agnatos sit devolutum. Hermaphroditus, ubi masculinus sexus in eo praevalet, non repellitur. Clerici ex moribus tam penes catholicos quam protestantes capaces Feudorum sunt. Monachi Feudum sibi (monasterio tamen vide *supra Th. 31.*) nec acquirunt, nec acquisitum retinent. Filii plures unius gradus, si Feudum sit dividuum, aequaliter succedunt, si individuum, primogenitus est portior, reliquis assignato Appanagio plerumque in bonis Domaniis, *vid. Renar. Choppinum de Doman. Franc. lib. 11. Tit. 3.* quandoque cum Jurisdictione, non tamen territoriali, (superioritate territoriali) neque cum caractere Status Imperii, haec etenim primogenitus postgenitis sine Imperiali autoritate conferre nequit. Ubi supersunt nepotes ex pluribus filiis, in Feudo dividuo Jure representationis succedunt, in individuo, si primogenitus decesserit, nepos secundo genito, patruus scilicet, praefertur.

### Th. 51.

Ascendentibus ordinariis in Feudo nullus succedendi locus, sive novum sive antiquum sit, nisi forte pater in gratiam filii Feudo antiquo olim renunciaverit, vel avus, non contradicente filio, Feudum in nepotem trans tulerit, tunc enim, filio vel nepote sine liberis demortuis, ad patrem vel avum revertitur, nisi pater vel avus quondam Feudum plene a se abdicaverit, vel filium quasi de novo investiri curaverit. Parentes quoque admittuntur, si novum Feudum Jure antiqui concedatur, vel per pactum patri in investitura prospiciatur, vel si Feudum sit mere haereditarium [ quod tamen non colligitur



igitur, si Feudum Filio concessum pro se & hæredibus] si Feudum  
ut mere hæreditarium filiis datum, parentes cum fratribus, sin alio e  
jam dictis modo, parentes sine fratribus admittuntur, quia Jure Feu-  
dali ordinarie non illi admittuntur, qui ex alia sunt linea, sed una li-  
nea deficiente demum transitur ad aliam.

### Th. 52.

Collateralibus itidem nullus in Feudo successionis locus, nisi à  
primo acquirente descendant, vel pacto iis sit prospectum. Admit-  
tuntur, non prout primo acquirenti, sed prout Vasallo, ultimo de-  
functo, sunt proximi. Frater Germanus non excludit consangvi-  
neum, cum in Feudis agnationis tantum habeatur ratio. Uterinus ab  
his excluditur, nisi Feudum fuerit fœmininum, à communi matre  
quæsitum, tunc & frater Consangvineus planè excluditur. Fra-  
trum (etiam Consangvineorum) filii, cum fratribus concurrentes,  
jure repræsentationis succedunt, fratrum verò nepotes concurrentes  
à fratribus plane excluduntur, cum in linea collateralis jus repræsen-  
tationis semel tantum habeat locum. Fratrum filii soli viriles portio-  
nes capiunt. Fratrum filii cum Patruo defuncti concurrentes, quia  
in linea descendenti sunt, cujus major favor, hoc potiores sunt.  
Agnati jure noviori succedunt non tantum ad quartum & septimum  
gradum sed in infinitum: Camera tamen imperialis distinguit: an  
Feudum semel ad descendentes, & ab his ad collaterales (qui ta-  
men respectu primi acquirentis etiam sunt descendentes) an à primo  
acquirente ex pacto statim ad collaterales (qui non sunt descenden-  
tes à primo acquirente) transierit, illo casu in infinitum, hoc ad se-  
ptimum gradum succeditur.

### Th. 53.

Filii Feudum parentum, repudiato allodio, ære alieno gravatò,  
secundum veriore[m] juris Feudalis. 2. Feud. 45. Sententiam (licet  
communis Doct[or]um opinio abeat in contrarium) acceptare neque-  
unt, sed uno perito adjudicatur & alterum, secus est in agnatis, nisi  
Feudum fuerit vel merè, vel quoad modum succedendi hæreditari-  
um, quibus casibus & hi utrumq; aut retinere, aut repudiare debent.  
Conjuges in Feudis sibi non sunt hæredes, quod si Feuda sint merè hæ-  
redita-]



hereditaria; tunc juxta Jus Civile vel Statutarium successio etiam ad conjuges extenditur. Si ambo conjuges de Feudo ab initio sint investiti, sibi non succedunt, sed mariti pars vacans ad dominum Feudi revertitur, nisi pactum contrarium determinaverit.

#### Th. 54.

Simultanee investitis, deficientibus certis personis, ad Feudum via aperitur, Jure Saxonico omnibus aequaliter, licet gradu sint remotiores, nisi adjecta sit clausula: secundum gradus prerogativam, nach rechter Sipzahl.

#### Th. 55.

Ex moribus quoque jus succedendi tribuit pactum confraternitatis illustrium personarum, ab Imperatore, & quidem in feudis Imperii majoribus vi Capitulationis cum consensu Electorum confirmatum: tali modo Comitatus Hennebergicus ad Domum Saxoniam, Ducatus Pomeraniae ad Electorem Brandeburgicum haud ita pridem sunt devoluti; Praeterea consensu Subditorum hic videtur opus, si status ex pacto vel consuetudine in negotiis Reipublicae majoris momenti auctoritatem suam hactenus interposuere; hoc colligitur inde, si Imperantes non nisi coactis conventibus provincialibus validi quid in territorio statuere valent: Quod si a dominis territorialibus subditi despotico regantur Imperio, quod in quibusdam Germaniae territoriis consuetum, subditi hoc casu dissentendi facultatem non habent, adeoque ipsorum consensu non videtur opus. Confer, D. Schweder *Introduet. in Jus Publ. Imp. Rom. Germ. c. 4. §. 52.*

#### Th. 56.

Renovatio Investiturae certis quoque casibus quaeri debet, estque nihil aliud, quam Feudi legitime quaesiti, ob Dominum vel Vasallum mutatum, solenniter facta confirmatio: Petit istam omnis in Feudo successurus, & filius, & agnatus, imo & extraneus, non vero expectativam habens, nequidem Jure Saxonico, secus est hoc Jure in simultanee investito, & agnatis remotioribus, licet ad ipsos successio nondum sit devoluta. Plures unius Vasalli haeredes, omnes, vel unus nomine omnium (ein Lehnträger) renovationem petere debent. Petitur mutato Domino vel Vasallo, sive morte, sive alienatione, sive fe-  
lonia.

Q



lonia. Mortuo tunc ex pluribus condominis, renovatio demum petenda à liberis, quod si deficient liberi, & Domini pro indiviso possideant Feudum, non opus est renovatione: solet tamen hoc casu, ubi scilicet pro indiviso existit Dominium, unus (senior forte) nomine omnium Investituram recipere, post cujus obitum demum renovatio à Vasallis petitur. Si unus è pluribus Vasallis moriatur, liberis relictis, renovatio ab iis sollicitanda, liberis deficientibus, distinguitur, an Feudum fuerit divisum, quo casu renovatione opus, sin indivisum, singuli Con-Vasalli propter partem ipsis accrescentem renovationem quarant, necesse est. Tempus, intra quod contractus Feudalis renovandus, est annus & dies (dies hic laxius pro mense capitur) currens à die scientiæ, nisi crassa & improbabilis fuerit ignorantia. Hoc tempus dominus in præjudicium Vasalli coarctare vel prorogare nequit, Istud spatium si Vasallus non observaverit, pro se & liberis privatur Feudo: excusatur tamen si justa causa, qualis, respectu Domini, absentia, inimicitia, litigium cum alio de Feudo, respectu Vasalli, absentia, pupillaris ætas, &c. allegerur. Quod si intra tempus hoc annuale Dominus subito demoriatur, Vasallo de novo annus currere incipit, Vasallus Dominum, ad Investituram impetrandam, sequi extra territorium haud tenetur, nisi Dominus sit in vicinia; à Procuratore tamen domi relicto vel hodie in Cancellaria Feudali Investituram querere debet. Probatur petitio Investituræ per breve testatum, Germanicè dictum Ein Muth-Beddul / facta Investitura, itidem per breve testatum, dictum ein Lehn-Schein / vel ipsas literas Investituræ, den Lehn-Brief. Investituræ hodiè testes præcise adesse non debent. Ubi usu receptum, præter ordinarias Cancellariæ sportulas, certis casibus (regulariter Feudo à Vasallo translato in extraneum, v. g. per emtionem, permutationem &c. secus est si transeat Feudum in liberos, agnatos, & simultanee investitos, nisi consuetudine loci neq; hic casus exempti) pro Investitura solvitur laudemium, cujus quantitatem consuetudo loci determinat.

Th. 57.

Dominus ad Feudum promissum dandum Vasallo præcise est obstrictus, nec præstando interesse liberatur, Vasallus Domino fidei



dem & servitia debet. Servitia sunt vel determinata, vel indeterminata. Regulariter de moribus solent determinari, ac quandoque certa pecunia redimi. Aucto vel imminuto Feudo, servitia indeterminata (non item determinata) augentur vel minuuntur. De moribus Vasallus non semper in propria persona servire tenetur. Domino, si injustum susceperit bellum, auxilia ferre non cogitur, sive bellum fuerit offensivum sive defensivum; si plura habeat Feuda & illorum Domini collidantur, justam causam habenti contra alterum assistit; servitia praestat, in Domini territorio, suo, extra istud, Domini sumtus consuetudine tamen Germaniae ubivis ferè receptum, ut Domini sumtu indistincte serviat. In Feudo Franco Vasallus à servitiis, non perinde à fidelitate, est liber. Domino excommunicato, bannito, vel haeretico juste servitia denegat. Si plures de Dominio Feudi litigent, justam causam habenti commodet operam, in dubio ei, qui in possessione Domini directi est. Ubi Dominus citra necessitatem, fortè ob confederationem, mercenariam suscipiat militiam, Vasalli ad servitia militaria cogi non debent. Nudus Vasallus Domino non solvit collectas, nec eum liberat ab aere alieno, nec dotem ad filiam elocandam confert: Feudistae tamen tempore extremae necessitatis Vasallum collectari posse non male asserunt.

### Th. 58.

Vasallus de Feudo libere disponere nequit: si novum sit Feudum, cum consensu Domini, si vetus, agnatis quoque consentientibus, id in perpetuum valide alienat. Per alienationem vero etiam intelligitur datio in dotem, in Emphyteusin perpetuam, in usumfructum propriè sic dictum, in solutum, permutatio, oppignoratio &c. Fructus Feudi transferre non prohibetur. Quod si sine consensu Domini hypotheca constituta in Feudo, Vasallus propterea Feudo non privatur. Dominus consentiens in alienationem, vel hypothecam Feudi Veteris, sibi, Vasallo, ejusve haeredibus, non vero agnatis, praedjudicat; adeoque jure successionis ad agnatos devoluto, illi Feudum pignori suppositum vel plane alienatum, citra refusionem pretii, retractant, nisi vel mere vel mixte, quoad modum scilicet succedendi, hereditarium sit. Debitor Vasallus alienando & oppignorando Feudum plerumque creditori se obstringit den Lehnherrlichen Consens auszus  
z  
wird



**Württen.** Dominus, in oppignorationem antea consentiens necessario postea in alienationem, solutione à Vasallo non subsecuta, consentire vel ipse debitum exsolvere debet.

**Th. 59.**

Sine tamen consensu Domini Vasallus in Feudo Emphyteusin, usum fructum, locationem, quamdiu ipse & liberi ejus vivunt, duran- tem, licite constituit, transigit quoque de Feudo, si modo jus suum du- bium, Domino tamen salva manente proprietate. Refutandi sive ab- dicandi à se plene jus Feudi licentia eidem competit; refutat vero vel novum vel vetus Feudum. Vetus vel Domino vel proximis vel re- motioribus agnatis, priori atq; ultimo casu proximiores non ante ha- bent jus agendi ad acquirendam possessionem Feudi, quam per mor- tem refutantis ejusve liberorum jus succedendi ipsis competat: No- vum Feudum cum consensu Domini extraneo pro lubitu refutat.

**Th. 60.**

Vasallus alii æque habili Feudum vel totum vel ejus partem in subfeudum (zum *Aster Ehn*) concedit, quæ tamen sub infeudatio or- dinariè (Si enim res infeudari solita perpetuum est) diutius non subsi- stit, atq; jus subinfeudantis. Regale Feudum, cum qualitate Regali (jure territoriali) sine consensu Cæsaris ac Imperii (neq; Cæsar solus tale sub Feudum majoris momenti in perpetuum, ultra scilicet Vasalli sub infeudantis, ejusq; liberorum vitam, approbare potis est, *argum. Capit. Leopold. artic. 30.*) à statibus subinfeudari nequit: quod si tamen consensus Imperatoris & Imperii accedat, non inauditum, statum unum, ex commissâ quasi potestate Imperatoris, Constatui particulare territorium (districtum territorii cum jure territoriali, sive ut Feudistæ quidam loqui amant, partem non tantum quantam sed & quoram territorii) per modum subfeudi concedere, ac sub in- feudatum immediatum Imperii statum respectu hujus territorii nihilominus manere. Exemplum quondam in Ducatu Württembergico, *Confer. omnino Strauch Exerc. Exoter. 10, Th. 21.* Idem, ni fallor, vide- tur esse respectu *Qversurt/ Borgl/ Dam/ & Güterbock/ vide Pacifica- tionem Pragensem de Anno 1635, §. 17, & Instrum. Pacis Casar. Svec. art. 23. §. 9.* Nec obest, quod Jus Territoriale desinente *Reincking de Regim. Secul.*



*Secul. & Eccles. L. 1. Class. 5. Cap. 3. §. 3. aliisq;* sit facultas immediatè ab Imperatore & Imperio dependens, adeoq; omnis Investitura quoad Jus Territoriale immediate ab Imperatore videatur petenda: distinguendum enim inter Jus Territoriale & modum istud habendi, etenim hic, ut dictum, ex commissâ quasi potestate Imperatoris & Imperii, mediante investiturâ feudali, à Constatu, istud verò unicè, Subinfeudatione peracta, ab Imperio est dependens; (modum habendi rem, v. g. Imperium, dependenter, non continuo reddere rem, v. g. Imperium ipsum, postea dependens, eleganter monet *Vir sine pari Hugo Grot. de J. B. & P. l. 1. Cap. 3. §. 11. & 23.*) Ut ergo Status tali modo à Constatu subinfeudatus, ad retinendam immediatatem, speciali Investiturâ, quoad Jus Territoriale, ab Imperatore peragenda, opus habere haud videatur, nec Status subinfeudans, in Subinfeudati territorio, effectus Juris Territorialis prætere valedat: imo, si accuratè rem expendis, ipsa Statuum Jura Territorialia ab Imperatore non nisi quoad modum habendi videntur dependentia, nisi, contra receptam sententiam, Regni Germanici Statum Monarchicum asserere velis. Jus vero Imperatoris in Statuum Territoriis, non Superioritas Territorialis, (Jus Territoriale) sed potius Imperialis, (Jus Imperiale) vide *Reincking de R. S. & E. Lib. 1. Class. 5. Cap. 3. n. 5.* dici consuevit.

### Th. 61.

Competit agnatis, ex prima investitura jus habentibus, licentiâ, Feudum licite, id est consensu Dõmini alienatum, revocandi, vel ex jure Protimiseos seu Retractus, quando scilicet Feudum jam in alium translatum, intra annum, à die scientiæ computandum, refuso pretio ab emptore per proximiorum vindicatur; vel ex jure successio- nis, demortuo alienante ejusque liberis (neq; enim liberi secundum veriorum juris Feudalis sententiam, quam & jus Electorale Saxonicum approbavit *vid. supra Th. 48.* facto parentum contravenire possunt) & quidem citra refusionem pretii: Emptori tamen regressus contra alienantis hæredes datur: At vero agnati, alienanti simul succedentes in allodio, vel si Feudum mere, aut mixte quoad modum succedendi, hæreditarium, factum ejus impugnare nequeunt. Proximioribus revocare nolentibus, remioribus, si successio ad eos sit devo-



luta, revocatio, (nisi proximior plane Feudum repudiaverit, ubi cum remotior statim ad successionem admittatur, etiam jus revocandi habebit) competit. Quod si aliqui ex agnatis alienationem approbaverint, si cum consentientibus in pari sint gradu, pro sua tantum portione revocant. Non tenetur agnati a Vasallo rogati in alienationem consentire, nisi debitum sit tale, quod etiam ab agnatis solvendum. Si agnato Feudum ad emendum sit oblatum, ille vero emere recusaverit, amittit quidem jus exercendi retractum, non tamen alienatum, suo tempore, successione scilicet ad se translata, revocandi. Juri vero revocandi Feudum alienatum praescribitur triginta annis, non a tempore alienationis sed demum delatae successionis, quo jus agendi ipsis competit, computandum.

Th. 62.

Vasalli successor, nisi descendens, vel haeres sit, a alienum praedecessoris solvere non est obligatus, nisi debitum ex jure Feudali, vel de moribus (ex consuetudine enim hodie plurima debita Feudalia inducta) sit onus Feudi, *Eine Lehn-Schuld*. Debitum Feudale est [1.] quod creditum est in refectionem, conservationem & defensionem (Advocati Salarium puta) Feudi, licet fortasse supersint bona allodialia. Porro (2.) Uxori pro dote illata, ac in Feudum versa: (quae versio illatione probata tacite praesumitur) imo si certa dos ab initio matrimonii promissa, sufficit si uxor eam cum usuris offerat. Dotalitium (licet maritus vivus nil de eo disposuerit) ordinariè in duplicatis usuris consistens, constituitur: liberum tamen uxori manet, ante neglecto dotalitio, dotem repetere velit. Dotalitio dos ordinariè absorbetur. (Ita ut post mortem uxoris ejus haereses nil recipiant; ideo quoque duplicatae usurae justificantur.) In concursu creditorum in Feudo ratione dotis ejusve augmenti uxori hypotheca tacita, de jure quidem non communi sed Saxonico, si de dote aliunde ipsi satisfieri nequeat, imo jus retentionis conceditur, Paraphernalibus uxoris in Feudum versis, inde quoque ipsi satisfieri debet. [3.] Filiabus ex Feudo indistinctè, in Saxonia si deficiat allodium, dos (nisi jam cum legitimam ex Feudo acceperit) juxta quantitatem feudi, (in dubio arbitrio Domini quantitas determinanda, quae a patre in praedivium agnatorum non nimia statui debet) & alimenta competunt. (4.) Legitima ex Feudo novo quoque debetur, si pater in ejus comparatio-



nem maximam partem patrimonii impenderit, vel etiam si bona sua allodialia in Feudum obtulerit. (5.) Expensæ in funus Vasalli factæ ex Feudo in subsidium [deficiente scilicet allodio, ex æquitate debentur. (6.)] Melioramenta quoque Feudi, ad perpetuam ejus utilitatem spectantia, hæredibus allodialibus deberi, nec fructus cum melioramentis compensari, verior est sententia, jure vero Saxonico hæredes allodiales, impensas in ædificium Feudo impositum factas, repetere nequeunt; secus est in aliis melioramentis, an *Teichen/Selbern/Gärten/ &c.* Debitum ad præstanda servitia militaria contractum, propter fructus (qui sunt res allodiales) perceptos, ex allodio non solvendum.

### Th. 63.

Ob Feloniam (dictam à Germanico *Sehlen*) jus Domini tam directi (ex iisdem enim causis, quibus Vasallus Dominium utile, Dominus quoque Dominium directum amittit, nisi manifesta disparitatis causa adsit, qualis est in servitorum præstatione, ad quæ Dominus non obligatur) quam utilis amittitur. A Vasallo felonia admittitur, vel committendo vel omittendo: committendo iterum vel in Dominum, vel in extraneum: in Dominum eum vel vulnerando vel occidendo, nisi hoc fiat à Vasallo suæ defensionis causa, injuriis præscindendo, cum inimicis Domini, in perniciem ejus, amicitiam contrahendo, de crimine capitali eum accusando, vel testimonium in tali causa contra eum sponte dicendo, famosa actione conveniendo, secreta (credentiam) Domini revelando, rem Feudalem esse, dolose negando, Dominum cucurbitando, (uxori ejus stuprum inferendo, vel id ad minimum tentando, cum filia Domini, cum nepte ex filio, aut cum sorore Domini, in domo ejus adhuc vivente & nondum elocata, vel vidua Domini intra tempora luctus concumbendo, Feudum sine consensu Domini alienando, ac sine tradendo, in extraneum, committendo Parricidium, crimen Majestatis, incestum, nimiam in subditos sævitiam, prodendo Convassallum: Omittendo: sine causa denegando servitia à Domino exacta, eundem in acie (nisi spes victoriæ plane nulla) deserendo, aliudve periculum bonorum vel corporis ab eo non avertendo, intra annum & diem renovationem non petendo. Causis his in jure feudali expressis, admittuntur similes vel majores, non vero leviores.

Vasallus





Vasallus ob feloniam commissam non ipso jure privatur Feudo sed requiritur prævia causæ cognitio ac sententia condemnatoria, (quæ non declaratoria sed privatoria dicitur.) Remittitur felonia à Domino vel verbis expressis, vel tacite, si Dominus, non attento delicto, nihilominus eum pro Vasallo agnoscat, vel de culpa non conquestus moriatur. Potest quoque Dominus ante sententiam privatoriam, (post sententiam enim agnatis est jus quæsitum, ubi in extraneos delictum commissum, uti mox sequetur) invitis agnatis Vasallo feloniam remittere. Feudum ob feloniam commissam, si fuerit novum, redit indistincte ad Dominum, sin Verus, ac culpa sit commissa in Dominum, ad eundem, quam diu delinquens ejusve liberi (jure tamen Saxonico hoc casu filii Feudum retinent) vivunt, [nisi fortasse, patre delinquente, Feudum adhuc apud avum fuerit, quo casu admittuntur nepotes, qui ita non Patri sed avo in Feudo succedunt] si in extraneum, statim redit ad agnatos.

#### Th. 64.

Certæ actiones ratione Feudi Domino atque Vasallo competunt; Utrique præjudiciales, reales, personales. Domino contra Vasallum negantem se esse Vasallum, præjudicialis, datur actio, ac vice versa. Personalis quoque, tam Domino quam Vasallo ex conventionione, promissione scilicet facta de Feudo constituendo, acquiritur. Feudo jam constituto, Dominus ab extraneo injusto possessore, imo si Feudum finitum, vel ob feloniam, prævia sententia privatoria, reversum, ab ipso Vasallo directa vindicatione petit. Certis quoque casibus, retinendæ ac recuperandæ possessionis remediis utitur. Quæ ad servitia præstanda Domino competit, non vindicatio, sed actio personalis, ex contractu se Feudali orta, dicitur. Utili rei vindicatione Vasallus Feudum, ab alio, imo ipso Domino, injuste detentum quærit. Si servitus Feudo debita denegetur, Confessoria, si ab alio in Feudo servitus injuste usurpetur, negatoria actione experitur. Quod si Feudum sit mere hæreditarium, ut hæres, petitione hæreditatis utitur; alias tantum rei vindicatione opus habet: sæpe etiam interdicta, quorum bonorum, uti possidetis, unde vi, &c. utiliter amplectitur.

#### Th. 65.



Ultimò notandum quæ quòd Judicium Feudale obtineant: si inter plures Convasallos de Feudo cōtroverfia sit suborta, Dominus Feudi, adhibitis paribus, curiæ ubi Feudum non Regale ( de moribus non adhibitis paribus curiæ in Consilio principis causa ventilatur) ubi regale, iis exclusis, comperens iudex est. In Imperio nostro *vi Ordinationis Cameralis part. 2. Tit. 7.* Solus Imperator, exclusis Vicariis Imperii, Austregis, Camera & reliquis Statibus, de Feudis majoribus iudicium præterdit: At vero plurimi Statuum, vi inveteratæ consuetudinis, parium curiæ (*der Reichs-Mannen*) consilium (quod appellant *das FürstenRecht*) in simul requirunt. Si Vasallus contra Dominum suum de Feudo agat, tunc pares curiæ sunt iudices: Si vero de Feudo minore, Regalem dignitatem annexam non habente, eo tamen immediato Imperii, inter Status aliosve controversia sit, Camera Jurisdictio etiam in prima instantia fundatur. Sæpè ad iudicem loci ordinarium itur, si vel causa non Feudalis sit, ut de Feudo promisso sed nondū constituto; vel si quis se Vasallum neget; vel inter Vasallos diversorum Dominorum lis sit; vel si de alia non Feudali re litigetur; vel si iudicium Feudale plane deficiat, ut si forte pares alios Dominus non habeat. Si præsumptiones contra reum militent, non tantum ipse iuramentum purgationis præstat, sed simul duodecim Sacramentales seu compurgatores jurant de credulitate; de moribus Sacramentales non amplius admittuntur, nisi in crimine fractæ pacis publicæ.

De cetero, quæ quoad processum disposita sunt in allodialibus, in Feudalibus quoq; observari consueverunt.

**F I N I S.**








X2617615

Vom











DISSERTATIO ACADEMICA, 4 16 2  
*AD*  
**UNIVERSUM**  
**IUS FEUDALE.**

*Quam*  
DIVINA FAVENTE CLEMENTIA;  
*Indulto inclyta Facultatis Juridicae,*

In  
Perantiquâ Electorali Erfurtenfi

Academiâ  
*SUB*  
PRÆSIDIO

DN, GEORGII HEINRICI *Brückneri*

J. U. D. & P. P.

*Eruditorum Discussioni submittit.*

PETRUS CHRISTIANUS *Kirchner*  
Erfurtenfis,

*In Auditorio Caelico*

Die  $\frac{31}{21}$  Augusti 1682.

*ab horâ Matutina 9. usq; ad 11.*

ERFURTI, TYPIS IOHANNIS BERNHARDI MICHAELIS.